DISSERTATIO
INAUGURALIS PATHOLOGICA

SISTENS

OBSERVATIONEM

CORDIS PERICARDIO CONCRETI TUMORIBUSQUE SIMUL AFFECTI

QUAM

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

CONSENSU ET AUCTORITATE

IN

UNIVERSITATE FRIDERICA GUILELMA

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI DEFERANTUR,

DIE XIII. M. APRILIS A. MDCCCXXIX

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENSURUS EST

AUCTOR

FERDIN. LUDOV. WACHE,

BEROLINENSIS.

OPPONENTIBUS:

F. PÜLLENBERG, MED. ET CHIR. DR.
F. SCHIELE, MED. ET CHIR. DD.
J. KOPS, MED. ET CHIR. CAND.

BEROLINI, TYPIS BRÜSCHCKIANIS.

W. WACHE,

PATRUO OPTIMO DILECTISSIMO

MAXIME DE SE MERITO

HASCE

STUDIORUM SUORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

Status vitae sanus non solum a recta virium distributione et commercio inter se in organismo verum etiam a justa partium forma dependet. Sed jam in prima corporis formatione natura persaepe a recta via aberrat atque diversissimas partium deformitates gignit. Accedit praeterea et in corpore jam bene constructo in sempiterna materiae vicissitudine et perpetua illarum potentiarum actione in corpus, quae cum vi graviore partium formam commutant ita quae reproductione restitui nequeat et materia re vera perfecta at pro formae mutatae ratione vitiose deposita, partium deformatio.

Verum etiam novi atque insoliti aliquid in corpore humano non raro gignitur, siquidem materia organica, priusquam organis assimiletur, per se formatur et vitam propriam nanciscitur, attamen cum corpore etiamsi per semet ipsam exsistat perpetuum commercium tenet.

Sed omnes haece deformationes atque insolitae productiones, quae vitia organica nuncupari solent, semper plus minusve corpori inimicae sunt, etsi

haud raro exsistant, quin corporis functiones atque ita valetudo secunda valdopere perturbentur, saepissime tamen tantopere organismum infestant, ut ejusdem vita exstinguatur, prout illa vitia organa minoris majorisve momenti corripiant prout partes extrinsecus vel intrinsecus sitas obsideant. At pessima vitamque serius citiusve exstinguentia vitia organica sunt, quae organa, ut dicunt nobiliora, ad vitam sustinendam omnino necessaria, ut puta ventriculum, pulmones, cor, vasaque magna occupant. Et haece quidem partes frequentissime ob continuam earum actionem atque id quod externis viribus maxime obnoxiae sunt istiusmodi vitiis corripiuntur.

Inprimis autem cor illis affici experientia docuit, unde vita eo magis periclitatur, quo majoris est momenti cor ad quascunque corporis functiones sustentandas. Nam fugiet neminem, turbatis cordis functionibus sanguinem depravari, dissolvi, stagnare atque hujusmodi ipsimet cordi irritamentum morbosum et reliquis partibus fieri.

Quo modo vitia cordis organica se manifestant.

Cordis morbi praecipue vitia organica difficulter dignoscuntur. Nam persaepe vitia hujus par-

tis organica, dissectis cadaveribus, et quidem gravissima reperta sunt, quin ulla symptomata, dum vita durabat, visa essent, quoties pericardium cordi accretum inventum est, sine ullo, quod hunc morbum monstrare solet, signo.

At in universum cor vitiis organicis laborare censeas, si, quae sequuntur, signa adsunt: Dyspnoea, quae omnibus cordis actionem augentibus, ut cursu, asscensu aliisque, animi affectibus excitatur vel inopinato dormienti extemplo supervenit; strangulationis sensatio; dolor levis ad cordis regionem; tussis peculiaris indolis, modo sicca et clangens, modo tantum tussicula, saepenumero autem aegrum excrucians nec raro in haemoptysin transiens, quae autem plerumque mox recedit.

Signa, quae ex ipsius cordis actionibus et arteriarum proficiscuntur, saepe fallacia et decipientia sunt; palpitatio enim veluti aliae pulsus cordis mutationes non minus in aliis corporis affectionibus reperiuntur, nec raro e falsa virium distributione oriuntur. At contra in gravissimis cordis affectionibus interdum nec palpitatio nec pulsus irregularis invenitur. Attamen haec signa nihilominus respectu digna atque eo magis morborum cordis praesentiam affirmare adjuvabunt, quo plura alia huc spectantia symptomata adsunt.

Primum igitur cordis pulsationem consideremus. Hic multum interest, ut pulsationes, con-

tractiones vibrationesque cordis, quas aeger ipse sentit ab aliis cordis ictibus distinguantur, qui, si quis manum cordis regioni imponat, vel jam solo intuitu parietum thoracis epigastrii atque hypochondrii sinistri motorum, animadvertuntur. Priores saepenumero ex imaginatione aegrotorum oriuntur, at si re vera quoque adsunt, plerumque tantummodo affectionem praetereuntem et spasticam indicant, posteriores autem saepissime vitium cordis verum praenuntiant. Manu igitur in cordis regione posita actiones cordis, diastolen dico systolenque non secundum normam fieri observabis. Pulsus cordis magno pectoris ambitu imo usque ad regionem umbilicalem tactu visuque animadvertuntur; cordis ictus modo frequentes, fortes, vibrantes, modo aequales modo inaequales, molles, debiles, tardi modo parvis temporis spatiis interpositis nunc fortes nunc debiles, tum fere semper intermittentes, quo simul quidem strepitus percipitur; quidam medici affirmant, illam pulsationem quin ipsa distantia se audivisse.

Quod arteriarum pulsus attinet non minorem varietatem prae se ferunt, quam cordis. Etenim sunt fortes, debiles, inaequales, molles, tardi, vibrantes, interdum quoque aequales, rari, undosi, tensi, facile comprimendi, parvi.

Qnod si haec signa inveneris atque ea, quae sequuntur, adhuc accedunt, tum concludere poteris, morbum cordis organicum obvium esse. Et

haec quidem symptomata sunt: deliquii animi sensatio tum sponte cum ex quaque exigua illud excitante causa aegrotum corripiens, aut lethargus qui vero mox recedit. Anxietas, quacum molesta quaedam sensatio, absque ullo alius morbi symptomate, ad cordis regionem conjuncta est. Moeror, tristitia, melancholia, desperatio atque alii animi affectus deprimentes hujusmodi malo laborantes invadunt atque excruciant ita ut illi homines ex vitae taedio interdum semet ipsos interficiant 1).

Dolores in corde atque in ejusdem vicinia circumvagantes saepe urentes, rheumaticis haud dissimiles in superioribus pectoris partibus, humeris atque ad brachia usque media tendentes, praesertim vero ad scapulam dextram. Aegroti semper quoque ad catarrhales affectiones inclinant, ubi simul trachea plerumque hoc peculiari modo afficitur, ut vox horum aegrotorum maxima ex parte gravior evadat.

Tum aegroti cordis vitio affecti persaepe apoplexiis, paralysibus, haemorrhagiis diversarum partium occupantur, quorum facies interdum venis subcutaneis expansis, varicosis e caeruleo rubescens tumet, in qua ubique illae venae quasi injectae

---

1) Corvisart Versuch über die Krankheiten und organischen Verletzungen des Herzens und der grossen Gefässe. A. d. Franz v. Ludw. Rintel. Berlin 1814. S. 69. Beobacht. 9.

appareut. Oedema faciei aliarumque partium imprimis pedum, Anasarca, Ascites, Hydrothorax, quae maxime jam ultimum morbi stadium et mortem appropinquantem praenuntiant.

Causae morborum cordis organicorum.

Ut morbus procreetur, organismus externis potentiis in eundem continuo agentibus succumbat necesse est, quod vero eo facilius facturum est, quo magis jam ille ad morbum inclinat. Sed unusquisque homo ad morbos jam ea ex causa dispositus est, quod perpetuum inter se et naturam externam a prima origine commercium alit.

Uti autem in universum alter majorem altero ad morbos dispositionem habet, sic etiam inter organa quaedam magis quam reliqua morbis afficiuntur, et inter haec quidem cor locum tenet. Corvisart 1) censet, cor praecipue hisce duabus causis tot tantisque morbis affligi, cum quod continuo agit a primo puncto, ut ajunt, saliente usque ad ultimum vitae momentum, tum quod ejusdem actiones sempiternae tam multis tamque gravibus potentiis perturbantur, quo omnes animi affectus et excitantes et deprimentes spectant, omnesque corporis intentiones.

1) l. c. Einleitung. p. 23.

Sin autem primo causas disponentes consideramus, illos maximam partem ad cordis vitia proclives esse videmus, qui a parentibus his vitiis afflictis nati sunt, quorum complura exempla ab auctoribus tradita sunt, uti a Senac 1), Lancisi 2), Morgagni 3), Corvisart 4), Albertini 5), P. Frank 6), Testa 7), Hamilton 8). Lancisi casum, quo in familia proavus, avus, pater et filius cordis aneurysmatibus laboraverant, memorat. Albertini feminae mentionem facit, cujus fratres quinque morbis cordis diem obierant, quaeque ipsa per triginta annos ejusmodi morbo affecta erat. Praeterea adhuc pertinent omnia, quae omnino corpus ad vitia organica disponunt.

Ad morbum cordis vero plane efficiendum multum haecce momenta afferunt: illa commemorata animi pathemata, tum violentiae externae ictusque pectoris, intentiones corporis ad onera elevanda et portanda, cursus veloces, omnes corporis nisus in ri-

---

1) Praktische Abhandlung von den Krankheiten des Herzens. A d. Franz. Leipzig 1781.
2) De aneurysmat. L. II. propos. 47, p. 74.
3) De caus. et sed. morbor.
4) l. c. p. 341, e. q. s.
5) Acta Bononiensia. T. I. p. 395.
6) Epit. de curand. hom. morb. T. II.
7) Ueber die Krankheiten des Herzens, a. d. Ital. von C. Sprengel, mit Anmerk.
8) Medic. Commentar. v. Edinburg. IX. Bd. 2. St. p.10.

dendo, in tubis quibuscunque canendis; dein vitae genus quoddam, praesertim excessus in Bacho et Venere, masturbatio; neque minus quidam morbi praecipue neglecti, ut imflammationes cordis et pericardii aliorumque pectoris viscerum; lues venerea 1), hydrargyrum nimia copia sumtum; exanthemata suppressa, impetigines, scabies, arthritis praesertim inveterata, et dispositione hereditaria orta, scrophula, rachitis, quae autem videlicet magis ad causas disponentes horum vitiorum referenda videntur.

Prognosis in vitiis cordis organicis.

Supervacuum videlicet videtur de prognosi in morbis cordis organicis loqui, quia vitio cordis praesente organico nihil nisi mors praesagiri potest. Et Corvisart 2) hoc modo de hac re censet: prognosis, ait, in morbis cordis organicis fere semper pessima et mortifera, sed nulla alia esse potest, simulac vitium exquisitum et vix quidem hic adhibendum adagium: Principiis obsta e. q. s. 3), morbum sane prohiberi sed nunquam sanari posse credo. — Me-

1) Corvisart l. c. p. 220.
2) l. c. p. 29.
3) Ovid. Ars amand.

dicina in his vitiis magis praestaret quodam modo, si haec mala prius dignosci possent. Sin autem huiusmodi vitia iam tantopere progressa sunt, ut perspici possent, omnesque a sanguinis circuitu pendentes functiones turbationis particepes sint, tum nihil amplius sperandum est. Sed arduum est, pronuntiare, utrum mors citius an serius aegrotum arreptura sit. Aegroti enim haud raro sani omnino visi et absque ulla talis morbi suspicatione repente moriuntur 1). Nihilominus vice versa sub diris symptomatibus vita perdurat multos per annos; quin etiam aegroti, ubi in summo morbi gradu certa mors imminere videbatur, tamen, mirabile dictu, a periculi acumine reducti ad pristinam leviorem aegritudinem visi sunt.

Hisce praemissis vitium cordis gravissimum et multifarium ac summum gradum adeptum expositurus sum.

Fr. Beyer, pistorem, habitum phthisicum scrophulosumque prae se ferentem, in numerum nosodochii caritatis Berolinensis aegrotorum receptum hoc statu cum medico superiore ad aegrotum cum accederem invenimus: conscientia plane aegrum reliquerat, facies pallida et dumtaxat collapsa, vultus tranquillus nullo modo distractus, oculi non ex toto

1) Burns, von einigen der häufigsten und wichtigsten Herzkrankheiten. A. d. Engl. von Nasse, p. 219.

palpebris obtecti eorumque pupillae dilatatae; os paulisper hians; respiratio parva et quodammodo anhelosa paululumque stertorosa reperta; arteriarum pulsus vix percipiendus, frequens, celer; cutis sicca frigidiuscula, abdomen quemadmodum collapsum verisimile, quod aeger jam per dies nullum alimentum assumserat. Quod vero maxime notandum est, aegrotum brachium dextrum peculiarem ad modum movisse et ad quandam quidem distinctam directionem, modo ad rotationis instar, modo extrinsecus ad corpus; illi autem motus nihil plane convulsivi habuerunt, sed magis illis choreae Sti Viti comparandi erant.

Omnia haec symptomata comtemplata maxime ad apoplexiam nervosam convenerant, excepta pupilla dilatata quae in apoplexia fere semper contracta est, et pulsus quoque non rarus, ut in hec morbo, fuit.

Aegro, quantum fieri potuit, propinabantur Infus. Valerian. Unciae sex cum Tart. stibiati granis duobus quorum parum modo adhiberi potuit cum deglutiendi facultas magnopere impedita fuit. Extrinsecus sinapismi in cervicis regione brachiisque ponebantur.

Die secundo status non solum idem verum etiam peior fuit; jam stertor propter magnam pituitae neque exspuitae copiam apparuit. Curatrix referebat, aegrum saepe per noctem somno excussum esse et sonos quosdam edidisse. Remedia interna

aegro non amplius ingeri potuerunt ob suffocationem extimescendam. Externa excitantia adhuc adhibita sunt, quamvis omnis jamiam spes perdita videretur. Stertor magis magisque auctus est, oris hiantis dentes labiaque fusco squalore obtecta et siccata fuerunt; oculi ex orbitis eminebant, quorum pupillae dilatatae manebant. Die tertio, postquam per noctem omnia ad pessima ruerant, aeger horis matutinis animam efflavit.

Ante sex menses aegrotus in hoc nosocomico jam tractatus erat, addam igitur, quod in diario de aegro tum temporis adnotatum est. Diarium fert nomen morbi

Catarrhus pulmonum.

Patiens habitu phthisico debili jam longo abhinc tempore laborabat perpetua tussi, dyspnoea, oppressione pectoris, quadam anxia sensatione, magna virium labe, simul larga pietuitae copia ex respirationis organis secreta aegrotum valdopere molestante. Quorum causam refrigerationem in suo labore non evitandam aeger accusat. Hoc malum e doloribus punctoriis in pectore inspiratione praesertim profunda adauctis incepit, quos tussis subsecuta est.

Tum illi propinatum est:

Rp. Decoct. Alth. Unc. sex.
Nitr. depur. Drachm. unam.
Solut. Liquir. Unc. semis.
M.D.S. Omni bihorio cochlear majus.

Dolores punctorii hisce remediis leniati sunt, respiratio oppressa sublevata, tussis cum expectoratione pituitae diminuta est. Tum ei mixtura pectoralis nosodochii caritatis ordinata est.

Aegrotus in dies convaluit, tussis fere ex toto evanuit, sed oppressio respirationis quodammodo remansit, neque plane dissipari potuerat, cum aeger nosocomium relinquere disideraret.

Nunc adhuc commemorabo, quod a cognatis de defuncti priore aegrotatione percepi. Iam per annum de doloribus atque oppressione in pectore in dies adauctis, et sensatione ac si quid cor arriperet distorqueretque aeger conquerebatur. Praeterea dolore fixo inter scapulas saepe vexabatur; novissimo tempore cephalalgia vehemente et pertinaci, nec non defficultate cibos praecipue solidos degluttiendi laborabat. Ultimas duas hebdomades lectum relinquere propter dyspnoeam maxime auctam nequibat.

Per hoc temporis spatium aeger omnes qualescunque cibos potusque assumtos semper evomuit, quod pulveribus aerophoris, qui aegroto a medico quodam propinabantur, omnino non sedabatur. Nunc quoque jam supra descriptae brachii dextri motiones apparuerunt. Iam vero conscientia die, antequam ad nosocomium portatus est, aegrum defecerat. Notatu dignum videtur, aegrotum nunquam de palpitatione questum esse.

Cum post triginta sex horas, uti in hoc nosodochio mos est, in cadavere secando primum cerebri cavitatem disquisiverim, me sanguinis magna copia in huius organi venis turgescens valde commovit nec minus tota cerebri massa grisei coloris mollissima et paene deliquescens ceterum nullo alio vitio affecta, si discesseris a pauca laticis cuiusdam serosi in cerebri ventriculis quantitate effusa.

In thoracis cavitate aperta pulmones dissecati non a sano statu discesserunt, praeterquam sanguine repleti visi sunt. Nunc autem diri mali omniumque illorum symptomatum causam inveni.

Etenim cor magno tumore obsessum in conspectum venit. Hic tumor cordis ipsius magnitudinem paene adaequans, solus fere spatium utrinque a claviculis costisque superioribus, a sterni superiore parte et columna vertebrali conformatum explevit, omnesque partes illuc sitas compressit.

Hisce partibus ab illo separatis cor ad accuratius perscrutandum cum tumore et pulmonibus e pectoris cavitate exemi; tum haec apparuerunt: quinque tumores, quorum quisque magnitudinem ovi columbini et quod superest, reddebat, pericardii superficiei externae affixi superiorem ventriculorum partem auriculasque atque atria vasaque magna neque minus tracheam branchosque circumdabant et inter se concreti tantum unum veluti tumorem constituebant. Quorum unus ante aortam atque arteri-

am pulmonalem situs spatium sub aortae arcu explevit et dextrorsum hunc circumdans infra truncum anonymum cum secundo tumore cohaerebat. Hic ad aortae dextram posterioremque superficiem positus et posteriori tumori accretus venam cavam superiorem, quae valde compressa apparuit, ab illo loco, quo vena jugularis communis sinistra in cavam insinuat usque ad atrium dextrum cingebat. In superficie anteriore atrii sinistri tertius tumor se offerebat, qui venas pulmonales bronchumque sinistrum, antrorsum vero arteriam pulmonalem ambiebat. — In posteriore cordis facie inter bronchos triangulare spatium a cordis basi usque ad discessum arteriae asperae in bronchos tumor quartus occupaverat. Supra quem quintus tumor reliquis altior et maior dextrum tracheae latus obsidens a broncho dextro, quem una cum inferiore quarto tumore inclusit, usque ad septimam tracheae cartilaginem pertinebat; retrorsum ad oesophagum spectabat; cum latere sinistro suo tracheae et broncho dextro, cum dextro venae cavae superiori affixus erat; antrorsum ad aortae arcum et truncum anonymum adnexus.

Pericardium ubique cum corde atque in anteriore eiusdem superficie tam arcte, ut cultro tantum separari posset, quod inter et cor adeps quasdam lineas crassa erat collecta. Posterioris superficiei

concretio non tam firma, quae sola distentione secerneretur. —

Ventriculi sinistri cordis parietes ad unum pollicem inspissati sunt visi. Dexter ventriculus dumtaxat expansus ceteroquin non mutatus erat.

In utroque ventriculo polypi sic dicti trabeculis leviter affixi et plures ad pollices in vasa, quae sanguinem efferunt, impulsi sunt, qui quidem nihil aliud nisi sanguinis, circulatione impedita quodammodo stagnantis materia fibrina praecipitata esse videbantur.

Pulmonum parenchyma, quod mirandum, sanum tuberculisque omnino vacuum et ne seri quidem quidpiam effusi repertum est. Ventriculus intestinaque non a sano statu discesserunt. Pancreas vero multis tumoribus, quorum majores nucis juglandis magnitudine erant, occupatum est. Nec minus glandulae mesenteriales tumefactae atque unum tamquam tumorem formantes sunt conspectae. Reliqua viscera sana erant —

Tumorum cordis diligentius indagatorum alii substantiam subflavam et caseosam, alii e caeruleo-nigrescentem continebant, itaque non nisi e scrophulosa cachexia orti videbantur, cum quosdam eorum et majores quidem glandulas bronchiales infra fusius describendas morbose amplificatas atque induratas esse pateret. Accedit praeterea, quod indolem scrophulosam adhuc affirmat, ut glandulae

mesenteriales et pancreaticae eodem modo commutatae apparerent.

Ceterum cor cum tumoribus in museo anatomico universitatis literariae Berolinensis servatum Illustr. Rudolphi humanitate, qua solet, occasionem accuratius contemplandi, si cui placuerit, largietur.

Casus quosdam similes eiusmodi tumorum ab auctoribus observatos hic memoratu mihi dignum visum est.

Huuc in finem primum glandularum lymphaticarum thoracis viscerum divisiones referam necesse est. Etenim glandulae lymphaticae thoracis in tracheales, bronchiales, pulmonales, cardiacas atque oesophageas dividuntur 1), quae vulgo omnes fere glandulae bronchiales nuncupantur.

Glandulae tracheales in utroque tracheae latere ad illius divisionem sitae sunt. (Tumor quintus)

Bronchiales illae appellari possunt glandulae, quae tracheae bifurcationi adnatae sunt, paucae solummodo tres quatuorve, sed plerumque majores quam reliquae. (Tumor quartus).

Pulmonales, quae partim ad pulmonum radicem inter bronchorum divissiones, partim in toto

---

1) Moscagni Ichnogr. Tab. XXI. Ludwig, Tab. V. 53.

pulmonum parenchymate inveniuntur (Tumor tertius).

Cardiacas nominat Cruikshank 1) glandulas, quae ad cordis basin et circa vasorum magnorum originem positae sunt, in latere dextro inter carotidum initia, in sinistro inter arcum aortae et arteriam asperam. (Tumor primus et secundus).

Omnium jam harum glandulae in mediastino posteriore prope oesophagum sitae sunt. Vesalius 2).

Oesophageae denique glandularum plurimas in casu nostro, sin oesophageas excipias, in tumores conversas esse videris.

Glandulas bronchiales tumentes in vomica et ulceratione pulmonum vidit Soemmering 3). Tumor earum quoque nucem juglandem aequans ita dirus, qui tracheam atque vasa comprimeret in infante septem annorum febre lenta consumto cum vomitu atque delirio notatur, pulmonibus simul tuberculis atque pure viridescente repletis 4)

Isenflamm in homine quodam vidit glandulas bronchiales tres in tumores conversas quorum plurium

---

1) Anatomy of the obsorbent vessels.
2) Opera Amstelod. 1725. Tom. I. p. 416.
3) De morb. vasor. absorbent.
4) Hufeland Annalen der franz. Arzneikunde, Bd. I. S. 490.

pollicum magnituto fuit tracheae partem inferiorem sic dextrorsum premebant, ut vera quasi flexura sigmoidea formaretur.

Wrisberg 1) in puero scrophuloso cum immensa pulmonum in steatoma degeneratione glandulas colli atque bronchiales vidit in scrophulas abeuntes. In ipsa bronchorum divisione lapidea fere trachealis glandula inventa est. In mesenterio glandulae eandem mutationem perpessae sunt.

Tozzotti 2) in cadaveris sectione pueri cujusdam supra pericardium prope aortae ramos ascendentes tumores steatomatosos variae magnitudinis et simul junctos molem formantes tres pollices altam, duo latam invenit.

Similem casum Cajoli 3) narrat hominis triginta annos nati, qui catarrho pertinaci, tussi inde secuta grave in paroxismis urgente, quam dolores pectoris sinistri comitabantur, respiratione impedita nonnunquam sibilante laborabat. Si manum imponeres sterno, dum tussibat, undae quasi sentires impetum et strepitum. Signa in pejus ruebant, diarrhoea, faciei oedema supervenit. Pulsus frequentissimi denique pedum tumor inde mors. In pectoris cavo serum inventum. Ad tracheae divisionem tumor

---

1) Commentatt medic. argum. Gött 1800, Vol. I. p. 144.
2) Eschenbachs vermischte Bemerkungen, S. 51.
3) Sachse über Kehlkopfs- und Luftröhren-Schwindsuchten, S. 172.

conspectus est ovo gallinaceo major inter tracheam atque aortam ad arteriae innominatae originem usque porrectus.

In museo anatomico Berolinensi 1) inferior pars tracheae cum bronchis servatur, ubi glandula ad divisionem tracheae in ovi gallinacei molem aucta aliaeque et pulmonales et cardiacae glandulae tumidae et materia nigra atque cretacea stipatae videri possunt.

Simillimam quoque historiam refert Becker 2) equitis loricati unum et viginti annos nati. Glandulae, ait, tracheales utrinque in magnos tumores conversae sunt albidos atque duros..... Inter ipsam bifurcationem (tracheae) lateque bronchos sejungens major conspicitur tumor externa inaequalis est et pro parte albida, pro parte nigrescens. Glandulae ad sinistri pulmonis radicem nihil offerunt prater colorem nigrum, illae contra quae ad pulmonis dextri originem collocatae sunt, in magnum quoque abierunt tumorem, ovum fere anserinum aequantem ... Glandulae quoque cardiacae quaedam in tumores conversae sunt .... alius vero tumor a prioribus plane separatus ovatus atque planius depressus venae cavae ascendentis ab anteriore parte incumbit, sic utrinque coarctatae.

---

1) Mus. anat. Tom. I. p. 677.

2) De glandulis thoracis lymphaticis atque thymo specimen pathologicum inaugurale, Berol. 1826. 4. p. 21.

Sed haec hactenus de tumoribus. Nunc denique quaedam de cordis concretionibus cum pericardio adhuc dicenda erunt.

Multa concretionum cordis cum pericardio exempla ab auctoribus sunt notata 1).

Pericardium cordi vel undique vel singulis tantummodo ejusdem locis annexum esse potest; haecce vero accretio vel laxa vel arcta reperitur. Concretio videlicet primo materia plastica inflammatione producta sed, ut verisimile est, lenta perficitur, cum sane, si inflammatio cito percurrit, maxime in hydropem pericardii propter magnam lymphae exsudatae copiam abeat; deinde pericardium cum corde ipso concrescit absque ulla materia, quod auctore Corvisart ex causa rheumatica atque arthritica fit. Tertio haec duo organa telae filamentis cellulosae conjunguntur, unde, si organa illa separantur, cor illam formam praebet, quod villosum nuncupetur.

De causis hujus cordis morbi auctores non plane consentiunt. At in universum imflammatio accusatur sed modo lenta modo acuta. Burns 2) im-

---

1) Baillie Sammlungen für practische Aerzte, 20r Bd. p. 129 et 336.
Boerhave, Ibid. 9r Bd. p. 494.
Selle, Beiträge zur Natur- und Arzneiwissenschaft, Th. 2, Fall 12, p. 26.

2) Von einigen der häufigsten und wichtigsten Krankheiten des Herzens. Aus d. Engl. von Nasse. p. 101.

flammationem diturnam concretionis causam habet. Kreissig 1) concretionem pericardii cum corde semper imflammatione produci affirmat, si haec quidem in lymphae plasticae exsudationem abit, adeo ut nec resorbeatur nec parti assimiletur vel vitae illius debilitatae vel majoris lymphae copiae exsudatae causa, unde fit, ut haec materia deposita coagulet et praeter normam formetur, qua vasa inde oriuntur, quaque hoc modo organa inter se concrescunt.

Jam vero, si concretio perfecta est, haec signa in conspectum venire solent: primo autem de palpitatione dicendum est, quam alii affirmant alii vero negant hocce in cordis morbo; prioribus Bailie 2), Selle 3), Meckel major 4), Testa 5); posterioribus autem consentiunt Corvisart 6), Morgagni 7), Senac 8). Kreissig 9) contendit,

---

1) Die Krankheiten des Herzens. Berlin 1814, Tom. I, p. 144.
2) Vom krankhaften Bau, p. 20.
3) Beiträge zur praktischen Arzneiwissenschaft 2r Theil, p. 26.
4) Mémoires de Berlin 1755.
5) Op. cit.
6) l. c. p. 65.
7) De caus. et sed. morb. Ep. XXIII, art. 17, 18, 20, 21, 29.
8) Op. c. p. 62, 64, 69.
9) l. c. p. 284, Th. 1.

corde cum pericardio concreto, non revera palpitationem, sed potius pulsationem vehementem in intimo pectore et tanquam tremorem inprimis sub diaphragmate atque in ventriculi regione animadverti, quae cordis intentionibus pericardio dein diaphragmati quoque annexi et, quo minus motus suos perficiat, impediti respondent.

Nunc symptomata, quae plus minusve in aliis quoque cordis morbis occurrunt, memoranda sunt. Huc spectant, dyspnoea, anxietas, oppressio ad cordis regionem; dolores in scrobiculo cordis, tensio aegrotum valde angens et sollicitans ad umbilicalem usque regionem. Deliquium animi, pulsus inaequalis et vibraus; tum hujusmodi aegrotantes nunc melius, nunc uti post coenam atque animi corporisque motiones pejus se habent, iidemque fere semper celeriter loquuntur atque in loquendo repente vox eos deficit propter spirandi difficultatem; persaepe facies eorum inopinato rubescit. Haecce posteriora signa huic cordis morborum praeprimis propria esse solent. Animus in hoc morbo majore gradu quam in aliis cordis morbis affici videtur adeo ut anxietas et jactitatio aegrotos desperantes ad suicidium compellat, cujus exemplum pharmacopolae Corvisart tradidit 1).

---

1) l. c. p. 69.

Sin omnia symptomata ista relata consideres eademque nunc cum causis compares jam magis perspicua res erit. Jamjam concluderis, dolores illos in capite vehementes non nisi e sanguinis reditu a capite, vena cava superiore compressa, ad cor prohibito, denique etiam soporem illum ortos esse. Tum illa anxia sensatio doloresque in pectore atque inter scapulas, quid quod? nonne ex illa arcta concretione cordis cum pericardio prodierint, quo fieri opportebat, cum hoc modo cor diaphragmati simul annexum esset, ut hoc valdopere impediretur quo minus libere agat, unde simul etiam patet, neque aegrotum palpitationem neque alium quemcunque animadvertisse, nam sane colligendum mihi videtur, si cor talem in modum vicinis partibus alligatum est, costas pulsare non posse. Quam diro omnino modo sanguinis circuitus perturbaretur necesse erat, cum tumores isti atria omniaque vasa magna tam arcte ambirent tamque comprimerent. Verum tamen oesophagum quoque ab illo inter bronchos tumore sito coercitum esse atque inde illam deglutiendi difficultatem adductam facile intelligendum erit. Quid de brachii motibus dicam? nonne hac ratione definiendi sint, quod tumores, cum omnes quasque illuc partes etiam nervum quendam plexus brachialis lateris dextri, quo tumor quintus vergebat, premerent?

Nunc denique vomitus e pressione ventriculi atque irritatione ab illis pancreatis tumoribus sat certe deduci potest.

Curriculum Vitae.

Ego Carolus Ferdinandus Ludovicus Wache, Berolini octavo Calendas Apriles anni millesimi octingentesimi quarti a patre optimo Christiano Ludovico et matre Dorothea e gente Boettcher, quam vero defunctam jam dudum lugeo, natus sum. Literarum elementa domicilio paterno mihi imbuta sunt. Anno MDCCCXX religioni evangelicae addictus, tum literis, quae ad studia academica viam muniunt, a praeceptoribus privatis eruditus sum. Anno MDCCCIV m. Aprili numero alumnorum Instituti medico-chirurgici Friderico-Guilelmiani adscriptus per quadriennium studiorum his professorum celeberrimorum praelectionibus interfui:

De philosophicis Cel. Wolf; de botanice et historia naturali Illustr. Link; de Zoologia Illustr. Lichtenstein; de physice, chemia et pharmacia Cel. Turte atque Illust. Hermbstädt; de encyclopaedia medica, anatomia universa, comparata et organorum sensuum, dentibus et physiologia Illustr. Rudolphi;

de osteologia, splanchnologia syndesmologia Illustr. Knape; artem autem cadavera dissecandi Illustr. Knape et Illustr. Rudolphi me docuere. Physiologiae tam generalis quam specialis praelectiones Cel. Eck audivi. Theoriam generationis Cel. Schulz mihi exposuit; de pathologia generali Cel. Fr. Hufeland; de pathologia speciali, morbis syphiliticis et mentis Illustr. Horn; de materia medica de fontibus medicatis, de opificum morbis Cel. Osann mihi praeceptores fuerunt. De therapia universali et semiotice Cel. Fr. Hufeland disserentem audivi; artem formulas medicas concinnandi Illustr. Knape et Cel. Casper, cujus ab exercitationibus pharmaceuticis, praelectionibusque de medicina forensi atque infantum morbis non abfui; de therapia speciali Illustr. W. Hufeland. Chirurgiam generalem, artem fascias applicandi, morbos ossium primitus mechanicos, artem obstetriciam tam theoreticam quam practicam Illustr. Kluge me docuit. De chirurgia generali et speciali Illustr. Rust, de akiurgia Illustr. Illustr. de Gräfe, Kluge et Rust; de anthropologia forensi Illustr. Knape; Celsi de medicina libros Cel. Hecker mihi interpretatus est. Tandem clinicum frequentavi medicum Illustr. W. Hufeland atque Illustr. Neumann; clinicum chirurgicum atque ophthalmiatricum Illust. Rust et de Gräfe.

Studiorum cursu absoluto, per annum in nosocomio Caritatis Berolinensi medico-chirurgi inferioris munere functus sum.

Nunc vero tentaminibus atque examine rigoroso coram gratioso medicorum ordine superatis et dissertatione thesibusque defensis, spero fore, ut summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

Quo facto ad munera medici militaris inferioris suscipienda Postampium me conferre iussus sum.

Theses defendendae.

I.

Nullum inter causam proximam et morbum ipsum discrimen.

II.

In vesaniis semper organa cerebri morbose affecta sunt.

III.

Pulsus tantum cordis vi efficitur.

IV.

Dentitio difficilis morbus non est.